versalis ecclesie. // Fuit enim hic papa vir nimie experientie in secularibus nec intendebat pecuniarum lucris, sed pauperum elemosynis.a Religiosos multum dilexit. Aretii mortuus est. F 218

a) et ego c.

CCXXXVI. capitulum. De pontificatu Innocentii quinti.

Nota: R. Kön dimittitur Celestinus.

Innocentius de Tarentasia, a pueritia in ordine Predicatorum nutritus, doctor in scriptura precipuus, subito promotus, subito defunctus est. Eodem enim anno factus est archiepiscopus Lugdunensis, et antequam consecraretur in dicta dignitate, factus est episcopus Hostiensis. Et infra annum defuncto Gregorio apud Aretium a est electus in papam. Sedit V mensibus tantum et duobus diebus.

a) et add. sed del.

CCXXXVII. capitulum. De pontificatu Adriani quinti et sibi contemporaneis.

Adrianus, natione Ianuensis, Octobonus vocatus, dyaconus cardinalis tituli sancti b Adriani, de genere Innocentii quarti. In Lateranensi palatio eligitur. Sedit mense uno, diebus octo. Hic legatus in Angliam missus est a domino Clemente pro guerra sedanda, que inter baronos et regem orta fuerat. // Statim post suam creationem

b) tit. s. bis scr., semel del.